

2. In his primò in ficienda cuiusque loci consuetudo.
3. Deficiente consuetudine, localium Synodorum Decreta, aut Principum Edicta.
4. Quadam circa Edicta Regia notanda.
5. Deficientibus Synodorum Decretis & Principum Edictis attendenda Synodus Tridentina.
6. Post hac recurrendum ad Jus commune.
7. Præ omnibus tamen attendenda fundatio.

I. Inter illa, quæ hætenus dicta sunt de Administratione Fabricarum & Mensarum S. Spiritus sive pauperum, aliqua sunt, quæ lex naturalis servanda præcipit; quæque consequenter nec per locorum spatia, nec temporum decursum mutari, aut variari possunt: v. g. quod bona ad fabricam aut pauperum mensam spectantia fideliter & in utilitatem Ecclesiæ ac pauperum administrantur & dispensentur; nullæ superflue ac inutiles expensæ in eorum dotatione vel redditione computum fiant; lites aliæ negotia majoris momenti per quæ notabile damnum bonis illis inferri possent, non nisi prævio maturo examine suscipiantur, proventus pauperum ita distribuuntur, ut non tantum corporalibus, sed quantum possibile est, etiam spiritualibus necessitatibus pauperum succurratur; utque sine ullo humano affectu, & personarum acceptione magis merentibus dispensentur.

Alia verò, eaque non pauca, sunt merè disciplinæ eorum genere, quæ per loca terrarum, & temporum vicissitudines variari possunt. Exempli causâ, à quibus eligendi Edicti aut Mamburni; à quo recipiendum eorum juramentum, qui redditioni computus intervenire debeant, & alia similia.

II. Super his ergo si forsan quæstio incidat, primò & ante omnia inquirendum erit, utrum antiqua & hætenus non interrupta consuetudo & possessio non habeatur, quæ casum decidat. Hæc si habeatur, haud facillè ab ea in hac materia, & punctis supra expressis, recedendum erit; sed servanda regula, quam in similibus tradidit S. Augustinus Epist. 54. ad Januarium num. 3. *Nec disciplina ulli est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eomodo agat quo agere videtur Ecclesiam ad quam sortè devenerit. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, ut ibidem num. 6. dicit August. etiam que adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

III. Deficiente verò consuetudine, vel eâ dubiâ aut incertâ existente, recurrendum erit ad localium Synodorum Decreta, aut Principum Edicta in hac materia evul-

gata: ut si casus in illis decidatur, aut dubium illustretur, illis sit in hærendum; præsertim tamen Principum Edictis.

IV. Illud verò hic observandum, licet Edicta nomine Principis, cui totum Belgium erat subiectum, emanaverint; inde tamen consequens non esse, hæc Belgium integrum sive omnes ejus Provincias concernere: quia subinde contingit ut Princeps non nisi unam Provinciam suo Edicto obligare velit: interdum duas, & aliquando omnes. Hoc ut dignoscatur, videndum qua qualitate Legislator loquatur, & quibus. Si omnibus salutem dicit, plerumque generalis Lex est; eoque casu ad calcem publicatio & executio Concilii aut Parliamentis omnium Provinciarum injungi solet. Mandata verò & Decreta solum Provincialia solis duntaxat qui sunt de illa Provincia inscribuntur: & in fine publicatio & executio Præsidi & Concilio illius Provincie demandatur. Vide Zypæum in Proæmio Notitiæ Juris Belgici.

V. Si nec ex ipsis Synodorum Decretis, nec Principum Edictis decisio casus haberi queat, inquirendum erit, num ipsa Concilii Tridentini Decreta elucidationem subministrare queant. Nam ut in prologomenis notatum fuit, & interminis expressis Senatui Frisicæ 6. Junii anno 1569. respondit Concilium Secretum Regium; Synodus Tridentina in his Provinciis simpliciter publicata fuit, intimatâ solummodo Archiepiscopo Cameracensi ac Magistratibus Civilibus Regis voluntate de conservandis Provinciarum consuetudinibus & Juribus Regiis ac Vassallorum in hac materia: consequenter ubi vetusta consuetudo, aut Jus Regium aut Vassallorum non ostenditur, Tridentina Decreta subintrare debent.

VI. His quoque deficientibus, aut non satis apertè casum exprimentibus, ex Juris communis dispositione resolutio quæstionis petenda erit. Commune enim & receptum Jurisconsultorum principium est: Deficiente consuetudine & jure patrio, juri communi standum esse; illaque si dubia sint, eorum interpretationem ex jure communi desumendam esse.

VII. Porro hæc omnia intelligi oportet, nisi quidquam quoad administrationem ipsius foundationis à Fundatore præscriptum sit: quia leges foundationis in hac materia primum locum obtinere solent. Denique efficacissimum sopiendis quæstionibus remedium erit, si sincero pietatis zelo, in hoc pietatis & religionis opere omnes procedant, ostendantque se non querere quæ sunt sua, sed quæ Dei & pauperum.

Episcopi Sueffionensis cap. 20. legitur: "Rationi quoque proximum est, ut unoquoque mense statuta die, id est, kalendis uniuscujusque mensis per singulas Decanias, Presbyteri simul conveniant, & de his quæ in eorum Parochiis accidunt, sermonem habeant."

Erant ergo jam tum Dioceses in certas Decanias distinctæ; sive designati districtus, quibus singuli Decani præessent; quæ disciplina ad hæc nostra tempora pervenit: hoc unum cavendum, ne pluribus præficiantur Ecclesiis (ut loquitur Synodus Mechl. P. I. tit. De Decanis cap. 3.) quam possint commode regere.

III. Si jus commune sive Decretalium spectetur, electio, uti & destitutio Decanorum Ruralium communiter ad Episcopum & Archidiaconum spectat: "Quia, cum ab omnibus, quod omnes tangit (ait Pontifex in cap. 7. De offic. Archid.) approbati debeat, & commune eorum Decanus officium exerceat, communiter est eligendus, vel etiam amovendus."

At quia in Belgio omnis penè Archidiaconorum potestas & jurisdictio ad Episcopos revoluta est, ut infra dicitur, etiam in plerisque Belgii partibus obtinet conformiter ad Decretum Synodi Mechl. P. I. c. 3. "Ut Archipresbyteri Rurales in singulis Diocesisibus pro discretionem Episcoporum assumantur. . . . ac sine arbitrio Episcoporum amovibiles."

IV. Imò moribus Belgii passim obtinuit, ut non tantum Episcopi soli pro suo arbitrio Decanos Rurales constituant, sed insuper libertas eis sit, quemcumque è Presbyteris, quem huic officio maximè judicant convenire, eligere; nec solet officium Archipresbyteratus ulli determinatæ Parochiæ aut Dignitati, vel Beneficio esse annexum.

Similiter in potestate Episcopi est, districtum Decanatum vel extendere, vel limitare; imò & unam Decaniam sive districtum Archipresbyteratus in plures dividere; aut plures in unum conflare.

V. Functiones quoque & potestas Decanorum à commisionem seu instructionem, quam ab Episcopis accipiunt, unice dependent: unde in Litteris, quibus Archipresbyter ruralis constituitur, inferi consuevit hæc clausula: *Archipresbyterum districtus N. te nominamus & deputamus cum facultatibus hujusmodi Archipresbyteris concedi solitis ac consuevis juxta instructiones datas.*

Ut ergo de officiis juribusque Decanorum Ruralium conformiter ad jus Belgii judicemus, Decreta Synodalia, ipsorumque Episcoporum instructiones, quibus facultates, & functiones Archipresbyterorum continentur, potius quam Juris Communis præscripta examinanda sunt.

TITULUS VI.

De Decanis Christianitatis seu Ruralibus.

CAPUT I.

Archipresbyteri alii Urbani, & alii Rurales: Hi à quo eligendi?

1. Antiquus Archipresbyterorum in Ecclesia usus.
2. A multis sæculis plures in una Diocesi Archipresbyteri constituti.
3. Archipresbyterorum electio & destitutio olim ad Episcopum & Archidiaconum, hodie ad solum Episcopum spectat.
4. Archipresbyteratus hodie nulli Beneficio aut determinatæ Parochiæ solet esse annexus.
5. Functiones Archipresbyterales unice penè dependent ab arbitrio Episcopi.

I. Antiquum esse Archipresbyterorum usum & institutionem testis est Sanctus Hieronymus, qui in Epistola ad Rusticum ait: "Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, Archidiaconi;

& omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur."

Supponit quidem S. Hieronymus, unicum fuisse in singulis Ecclesiis Cathedralibus Archipresbyterum, sicuti unicus erat Episcopus. Nec mirum; eo quippe tempore, prior Ordinatione inter Presbyteros Archipresbyter, seu primus Presbyterorum erat; ilque toti Collegio Presbyterorum præsidebat: quemadmodum & hodie unicus esse solet Archipresbyter in Cathedrali Ecclesia, qui omnibus Presbyteris & Clericis civitatis Episcopalis præesse consuevit; & Archipresbyter Cathedralis vocatur; atque inter dignitates numerari solet, de quo hic non agitur, sed de solis Ruralibus, id est, qui extra civitatem Episcopalem curam agunt.

II. Jam enim à multis sæculis populo multiplicato, plures in una Diocesi Archipresbyteri constitui cœperunt; qui extra civitatem Presbyteris & Clericis intenderent, & præessent; dicti propterea Rurales.

Et quidem sæculo nono inter constitutiones Riculfi Epi-

CAPUT II.

Decani Rurales Pastoibus & Ecclesiasticis sui districtus intendere debent.

1. Decani Rurales sunt Pastores Pastorum.
2. Tenentur ad residentiam.
3. Pastoibus invigilare, & de vita & moribus solliciti esse debent.
4. Qui in Decanos eligendi.

I. Archipresbyteros seu Decanos Rurales esse Pastores Pastorum, sive curam Pastorum sui districtus agere, imò & omnium Ecclesiasticorum, nisi consuetudo aliisve legitimis titulis curam aliquorum ad alium detulerit, tum commisso Archipresbyteris dati solita, tum Synodalia decreta manifestè supponunt.

II. Unde Synodus Mechl. P. I. tit. de Decanis cap. 2. cum prius de residentia Pastorum dixerat, subjungit: "Cum eadem sit ratio de Pastoibus & Archipresbyteris seu Decanis ruralibus qui & ipsi Pastores Pastorum sunt, & eorum officium in observatione morum tam Pastorum quam laicorum sui districtus consistit; statuit hæc Synodus, ut sicuti singuli Pastores in suis Parochialibus, ita omnes Archipresbyteri seu Christiani tatum Decani in suorum Decanatum limitibus ad personalem residentiam compellantur."

III. Et c. 4. deinde infert, ut Archipresbyteri rurales in singulis Diocesisibus pro discretionem Episcoporum assumantur, qui possint, inquit, Pastoibus vitam, consilio & exemplo prodesse.

Synodus quoque Cameracensis P. II. tit. 19. cap. 12. supponens Archipresbyteris curam Pastorum & Ecclesiasticorum incumbere, ait: "Decani autem rurales Parochiarum, adeoque omnium, etiam Sacerdotum & Clericorum, quin & laicorum suorum districtum mores diligenter observent, potissimum autem, ut Pastores in prædicatione verbi Dei, Sacramentorumque administratione, nec ac in cæteris omnibus suo muneri satisfaciant."

Synodus etiam Antverpiensis claris terminis hanc Archipresbyterorum obligationem expressit & declaravit: "Archipresbyteri seu Decani rurales, cum sint Parochiarum aut Sacerdotum sui districtus Pastores, solliciti sint, ait, de eorum salute & profectu spirituali, & singularem habeant inspectionem & curam de ipsorum doctrina, vita & moribus. Et vicissim mandamus Parochiis & Sacerdotibus, ut Decanos uti Superiores suos agnoscant, reverentur & ament."

Idem omnes passim Synodi & Episcoporum instructiones sollicitè inculcant; monetque Audomarensis tit. 18. cap. 1. "Decanorum esse in sui Decanatus partibus sive Parochiis curare, ut Sacerdotes & Clerici omnes, & singuliter ut Pastores vitam agant sua vocatione dignam, ac talem ut nemo de ipsis queri possit, nihilque in ipsis, nisi grave, modestum, imitationeque dignum conspicitur, deinde in hoc advigilare, ut Pastores in prædicatione verbi Dei, Sacramentorum administratione, & omnino in functione pastoralis officii sui rectè, diligenter, & quemadmodum oportet, versentur: Ad hæc ipsos quando opus fuerit, visitare, monere, corripere, consolari, consilio ipsi subvenire: denique veri Pastoris officium erga illos, sanos & aegrotos, vivos & mortuos, exercere."

Addit Namurcensis anni 1639. tit. 21. cap. 6. ut eos hortentur, ut "quotidie aliquod temporis orationi & lectioni spirituali tribuant."

Ut verò Parochiarum & Parochorum notitiam exactiorem habeant, rectè monet dicta Synodus Namurcensis tit. 20. cap. 35. ut "Decani habeant aliquot probos & sibi fidos Pastores, à quibus excessus vicinarum Ecclesiarum addiscant."

Duo hic notanda. Primum, omnia hæc à Synodis decreta unice ac quasi per necessariam consequentiam profuere ex cura pastoralis, quam Archipresbyteri Pastoibus & Ecclesiasticis sibi subiectis impendere debent.


Ex quo ulterius consequens est, quod suppositâ curâ animarum ab Archipresbyteris, omnia quæ Synodi ac Episcoporum instructiones tanquam necessaria aut admodum convenientia pro debito illius curæ exercitio præscripserunt, eatenus semper & ubique esse observanda, in quantum cura pastoralis, quam Pastoibus aliisque Ecclesiasticis debent, requirere videtur.

IV. Alterum notandum, quam solliciti merito sint Episcopi, ut doctiores, zelosiores, in cura animarum exercitiores, ac pietate morumque integritate eminentiores ad hoc officium eligantur; utpote, qui non Laicis tantum, sed & ipsis Laicorum directoribus, & conductoribus, vitâ, consilio & exemplo prodesse, & præire debent.

CAPUT III.

De Visitatione Archipresbyterorum.

- 1 *Visitatio decanorum necessaria.*
- 2 *Singulis annis instituenda.*
- 3 *Primo de vita & moribus inquirendum.*
- 4 *Inducere studeant Pastores ad Officia Spiritualia.*
- 5 *Satagere debent ut plenam notitiam Parochiarum sui districtus accipiant.*
- 6 *Præter annuam visitationem Parochias suas frequenter visitent.*
- 7 *Quæ potissimum Decanis attendenda, ut officium suum recognoscant.*

I.  Um Archipresbyteri omnibus Pastoribus, & Ecclesiasticis sui districtus superintendere, & invigilare debeant; attendere quoque, num nihil in Parochiis sibi subjectis, ad earum debitum regimen & curam animarum spectans negligatur; nihil evidentius, quam inter primas Archipresbyterorum obligationes, esse Parochiarum sibi subjectarum exactam, & frequentem visitationem; qua mediante in notitiam Parochiarum venire, & corrigenda corrigere, aut ad Episcopum corrigenda referre queant.

II. Et quidem in omnibus Synodis Archipresbyteris injungitur, ut semel ad minus singulis annis Parochias sui districtus visitent; tempusque visitationi destinatum Pastoribus tempestivè præsignificent: caveantque serio, ne occasione visitationum comesationes ullæ fiant.

III. Inter cætera autem visitaturi sedulo inquirent, ait Synodus Mechliniensis P. II. tit. 17. cap. 11. „An Pastores, ipsi, ac reliqui Sacerdotes, & Ministri Ecclesiæ honestè vivant; & an officio suo in prædicatione Verbi Dei, celebratione Missarum, administratione Sacramentorum, ac cæteris omnibus, satis faciant.

Et Synodus Namurcensis anni 1659. tit. 16. cap. 13. monet omnes Archipresbyteros, „Ut annales visitationes obeantes, & aliàs diligenter inquirent, quibus rebus Pastores se impendant, ut si quos otio deditos repererint, ne nihil agendo malè agere discant, eos actionibus Ecclesiastico homine dignis incumbere, & per bona opera certam suam vocationem facere procurent.

„Cui fini inducent omnes & singulos (pergit capite sequenti) ut quotidie ad mediam horam lectioni Scripturæ sacræ aut alicujus pili libri, & aliam mediam horam divinorum mysteriorum, & maxime Passionis Christi meditationi insistant.

IV. „Inducunt etiam illos, ut quotannis opportuno tempore se recolligant faciantque exercitia spiritualia, apud eos qui in ista arte versati sunt, quibus sic absentibus providebitur populo de Sacerdote, qui tam in concionando, celebrando, quam confessiones audiendo eorum vices suppleat.

Eadem & cæteræ Synodi Archipresbyteris inculcant; ut nimirum, sedulo inquirent in suis visitationibus de vita, doctrina & moribus Curatorum & aliorum Presbyterorum, „uti loquitur Synodus Brugensis sub Druivio; quæ & addit: Ac Præceptorum seu Magistrorum; & cujus sint qualitatibus, fidei, & nominis ac famæ.

V. Quibus consonant novissima instructiones datæ Archipresbyteris Diœcesis Mechliniensis, quibus ante omnia injungitur, „Curent visitationem, ut potissimam officii sui partem, sedulo, accuratè & cum timore Dei perficere, ac præcipuè invigilare, ut Altaria, ac Sacramentalia, ipsaque templa nitida serventur, Pastoresque ipsi, quoad obligationes & functiones suas Pastorales exactè sint & diligentes, an quo studio, quove exercitio otium pellant. Quare non plures uno die visitabunt Ecclesias, quam commodè possint.

Varia alia, tum statum interiorem, tum exteriorem Parochiarum pectantia, super quibus Archipresbyteri visitando se informare debent, Synodi & instructiones Episcopales præscribunt; quo possint integrum Parochiam statum plenè cognoscere, cumque Episcopo referre; ut ipse Diœcesis suæ notitiâ habitâ, possit intelligere quæ pro bono cujusque Parochiæ ordinanda, aut facienda occurrant.

VI. Porro cum unica annua visitatione vix assequi possint totius Parochiæ perfectam notitiam, rectè monent Synodi, ut præter visitationem ordinariam, data occasione, se pius Parochias sibi commissas visitent. Synodus Antverp. tit. 16. cap. 1. Namurcens. anno 1639. tit. 21. cap. 5. Hinc & in cap. 4. „De officio Archipresbyteri. præcipitur, „ut singulæ Plebes Archipresbyterum habeant, „propter assiduum erga populum Dei curam, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerat, verum etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, „vis tam jurgi circumspiciant, & qua unusquisque industria divinum opus exerceat Episcopo suo renuntiet.

Et Synodus Iprensis sub Rithovio tit. 7. cap. 2. Decanorum officium esse ait, „Pastores, quando opus est, monere, corripere, visitare, consolari, bono consilio subvenire, ac veri Pastoris officium erga illos exercere.

VII. Uno verbo, recogitare debent Archipresbyteri, se esse constitutos Pastorum & Ecclesiasticorum sui districtus Pastores; ipsarumque Parochiarum Vice-Episcopi directioni intendere debere; ut vel ipsi defectus corrigant, vel ad minus Episcopum de omnibus plenè instruant.


Hinc apparet, officium Archipresbyterale gravius sanè esse, quam vulgò apprehenditur; atque ad illud non esse assumendos, nisi qui zelo, & pietate Pastoribus præcant, ac ea doctrina sint & eruditione, qui & Pastoribus consilia, & salutaria monita dare possint; & exactè ac prudenter defectus Parochiarum observare, & ad Episcopum referre.

Cæterum plura, quæ Archipresbyteri circa scholas, domos pastorales, ornamenta Ecclesiarum; imò circa Monasteria Monialium sibi subjecta aliæque similia inquirere & facere tenentur, notabimus, ubi parte secunda specialiter de illis rebus tractabitur.

CAPUT IV.

De Congregationibus Pastorum & Archipresbyterorum.

- 1 *Decanus dum expedire judicaverit Parochos sui districtus convocare potest.*
- 2 *Quomodo Capitula Pastorum instituenda.*
- 3 *Quid in illis tractandum; & quis eorum scopus.*
- 4 *Etiam Parochi sine Decano Capitula habere possunt utiliter.*
- 5 *Decani annuatim cum Episcopo convenire debent.*

I.  T Decani, quæ ipsis ratione Decanatus incumbunt officia faciliùs exequantur, ait Synodus Iprensis sub Rithovio tit. 7. cap. 3. liceat iis, quoties expedire videbitur, omnes pastores sui Decanatus ad aliquam parochialem Ecclesiam convocare, atque cum illis communiter & divisim consilia de pastoralis officio, & pro uniformi executione & observatione statutorum tractate.

Præter has extraordinarias ex causa instituendas Congregationes, volunt insuper Synodi nostræ, ut Capitula Pastorum singuli Archipresbyteri quotannis celebrent, præcisè illo die quem Ordinarius illis statuit, Synodus Mechl. P. II. tit. 17. cap. 14.

II. „Porro

Tit VI De Decanis Christianit. seu Ruralib. Cap. IV. & V. 39

II. „Porro hæc ipsa Capitula sic celebrentur; ut ea non ad componendum, sed ad tractandum de rebus seriis indita esse omnibus innotescat. Proinde in illis initium rerum agendarum sumatur ab invocatione Spiritus Sancti, quo dirigente de rebus Ecclesiæ conferatur. Prandium verò non fiat nisi frugale & moderatum, ut nemo sumpibus vel potu gravetur, nec umquam illud in taberna vel deteriori instituat, Extranei quoque per quos tractatio de rebus Ecclesiæ possit impediri, ab eo excludantur. Ita Synodus Mechl. D. tit. 16. cap. 9. cui & aliæ Synodi consonant.

III. In his autem congregationibus de morum correctione, abusu reformacione tractetur, ait Synodus Cameracensis P. II. tit. 19. cap. 16. & à singulis Pastoribus in scriptis referatur status suarum Ecclesiarum; item quidquid in eis defectus animadverti fuerit; vel ut loquitur Synodus Antverpiensis tit. 16. cap. 2. singuli Pastores liberè pendent, si in suis aut vicinis Ecclesiis aliquos defectus aut transgressiones animadvertierint.

Monent quoque Synodi, ut Archipresbyteri tamquam Pastorum Pastores, & Congregationis præfides, eosdem ad statutorum Synodaliū observantiam, ac diligentem munerum suorum adimpletionem & defectuum suorum Parochianorum declarationem piâ & seria oratione adhortentur. Synodus Biscod. sub Masio tit. 16. cap. 5. & Synodus Camerac. P. II. loco citato cap. 17. quæ ejusmodi exhortationem haberi vult vel per Archipresbyteros, vel aliquem ex Pastoribus ab eis deputatum in eum finem, ut omnes de abusibus aut negligentis à postrema Congregatione per eos observatis sincerè deponant.

Scopus proinde harum Congregationum unicus hic est, ut abusus & defectibus, aut difficultatibus, vel mutua collatione occurrat & mederi possit; vel eorum haberi exacta notitia; qua habita de omnibus Episcopus informetur; & ejus auctoritate quod expedire judicabitur, statuatur.

IV. Præter hæc communia omnium Pastorum cum suo respectivè Decano Capitula, hodie sunt non minus utiles Pastorum inter se Congregationes, quarum meminit, & quas institui vult Synodus Namurcensis anni 1659. tit. 16. cap. 16. „Ubi cumque, ait, hæc tenus Pastores non sunt reducti in classes, qui singulis mensibus, & certo statuendo die, vel horis conveniant, ibique tractent de promovenda pietate in Deum, zelo animarum, & de scientia Pastoribus necessaria, fiat quantocius, ubi per temporum difficultates, & armorum strepitum licebit. Præscribentur quoque libri tam pii, quam Theologici, quos ante proximum conventum legere tenebuntur, & in quibus examinandum, vel è quibus disputandum, & cum Confratribus confertendum erit.

Dum hæc Pastorum congregationes modestè, piè ac vero Pastoralis zelo instituuntur, nemo de earum fructu & utilitate dubitare poterit; summum tamen erit adjumentum, si inter eos sint aliqui scientiâ, pietate & zelo eminentiores, qui juniores aut rudiores, vel tepidiores erudire, vel excitare queant; suâque auctoritate & eruditione congregationem dirigere.

V. Ad hæc, ut ipsi Episcopi exactiùs & opportuniùs, quæ & generaliter suæ Diœcesis, aut aliquibus particularibus Parochiis conveniunt, statuere queant, nonnullæ Synodi ordinant, ut quotannis certo designatoq; die omnes Archipresbyteri Episcopum accedant, atque cum illo de statu suorum respectivè districtuum conferant, exponantq; quid singuli, tum in visitatione, tum congregationibus Pastorum aut aliunde observarint; quidquid pro bono Parochiarum statuendum judicaverint; ac deinde post mutuam collationem, maturamque deliberationem audiant, quæ pro salute, ac utilitate Animarum Episcopus statuenda & ordinanda duxerit.

Hic rursum intelligitur, quam merito Episcopi sunt solliciti, ut constituantur Archipresbyteri eruditione, zelo

Van Espen Jur. Eccl. P. I.

animarum, & rerum agendarum peritiâ eminentes, qui unâ cum ipsis queant de statu & regimine Diœcesis conferre & deliberare.

Tales sanè si essent Archipresbyteri, eaque annuatim Capitula ad morum & disciplinæ reformacionem celebrarentur, spes esset, quod illa aliquatenus supplerent vicem Synodorum Diœcesanarum, quas quotannis celebrandas præcipit Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 2. De reformat. & hodie pro dolor! unâ cum totius disciplinæ collapsione, negligi penitus videmus.

CAPUT V.

De Juribus Archipresbyterorum.

- 1 *Decani habent jus visitandi Parochias sui districtus*
- 2 *Pastores illos ut Superiores cognoscere debent.*
- 3 *Decanorum est Pastoribus sibi subjectis administrare Sacramenta.*
- 4 *Etiã pro illis funebre officium persolvere.*
- 5 *Pastores & Beneficiatos in possessionem introducere.*
- 6 *Jus habent interveniendi computibus Fabricæ, hospitalium, Monasteriorum &c.*
- 7 *Nonnulla observanda a Decanis circa usum suorum jurium.*

I. **A**rchipresbyteris, sive Decanis Ruralibus incumbere curam Parochiarum suorum respectivè districtuum extra dubium est; adeoque jus est Archipresbyteris visitandi dictas Parochias, quoties id necessarium aut utile videbitur, ut debitam Parochiæ notitiam habere queant.

II. Ad hæc cum Decani Rurales sint Pastorum & Ecclesiasticorum suorum districtuum Pastores, etiam justum est, ut Pastores & Ecclesiastici ipsos ut Superiores suos agnoscant, revereantur & ament; uti Synodi nostræ præcipiunt.

III. Porro quia Pastorum est, subditis suis Sacramenta administrare, etiam Decanorum est, Pastoribus aliisque Ecclesiasticis sibi subjectis Sacramenta potrigere. Hinc passim Synodi monent Archipresbyteros, „Ut ubi intellegent aliquem è sui districtus Pastoribus aut Sacerdotibus periculosè laborare, statim ad eum excurrant, mo-neantque ut salutem suam consulat, eique, si opus est, Sacramenta administrent. Ita Synodus Antverpiensis tit. 16. cap. 4. cui passim reliquæ Synodi ac Episcoporum instructiones consonant.

IV. Ulterius cum Pastorum sit subditis suis è vita decedentibus justa persolvere, etiam Archipresbyteris jus est, „Omnibus Ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus, (verba sunt Synodi Antverpiensis cap. 5.) extra Monasterium degentibus, in suo districtu morientibus, Sacramenta administrare, & officium funebre facere. Urgente tamen necessitate Pastor loci aut vicinus vices suppleat.

Addit insuper Synodus Namurcensis an. 1638. tit. 21. cap. 9. officia per Decanos sive Archipresbyteros fieri solita, „ut puta exequiæ Pastorum, Sacerdotum, vel in Sacris Ordinibus constitutorum, nobilium, leproforum & alia hujusmodi, si per Prælatum vel alium fiant, serventur Decano sua jura.

V. In plerisque districtuum conferant, exponantq; quid singuli, tum in visitatione, tum congregationibus Pastorum aut aliunde observarint; quidquid pro bono Parochiarum statuendum judicaverint; ac deinde post mutuam collationem, maturamque deliberationem audiant, quæ pro salute, ac utilitate Animarum Episcopus statuenda & ordinanda duxerit.

Hic rursum intelligitur, quam merito Episcopi sunt solliciti, ut constituantur Archipresbyteri eruditione, zelo

D 2

VLS